



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. III. Vtrùm causalitas Causæ effcientis distinguatur à causâ & effectu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

Dei concursu, quia hæc omnia sunt æqualia alteri extremo, & habent virtutem aliquid producendi; ergo habent virtutem æqualem, ergo adæquatam. Respondeo, essentiam & virtutem actiuam esse idem realiter, inde autem quid infertur? ergo sicut essentia in essendo est æqualis, ita virtus actiua in essendo erit æqualis: retentis enim iisdem terminis, quidquid prædicatur de essentia, prædicatur de virtute illi identitatis: at sicuti non potest dici, *essentia est sola potens efficiere*, ita nec potest dici, *virtus est sola potens producere*, nec confundendi sunt termini, æqualis illi in perfectione, & potens illam adæquate producere. Vel si vis alios terminos clariore, quibus hanc æquiuocationem depellas, dic, *essentia huius est æqualis illi essentia, ergo virtus huius est æqualis virtuti illius*. Bona consequentia, transeat, hinc autem solum infertur, tam actiuam esse vnam quam alteram, at inde quomodo infertur, quamlibet adæquate posse alteram producere? longè enim aliud est, *sum illi æqualis in virtute operandi*, & longè aliud, *possum illum adæquate producere*: homo enim est æqualis homini in virtute operandi, non potest tamen adæquate illum producere; & duo Angeli sunt sibi æquales in virtute operandi, non tamen inuicem se non solum adæquate, sed nec inadæquate possunt producere.

15 Secundo dicendum puto, absolute loquendo posse esse aliquam causam, in qua nullam in genere entis reperimus formalitatem, quæ in effectu ei specialiter respondeat, & tamen ad illum possit concurrere saltem partialiter. Probo à simili ex specie impressâ, vbi illimet Philosophi nullam inueniunt talem formalitatem; solum enim admittunt concursum illius, quia non vident modum quomodo possit concurrere formaliter. Si enim reperirent formalitatem quæ illi responderet, etiam si formaliter posset concurrere, tenerentur tamen iuxta sua principia dare locum speciei in concursu efficienti: ergo si de facto dant, eò quod aliter non potest concurrere, dant illi concursum sine vllâ formalitate & respondente, quod contendo. Secundo id probo ratione, quia causæ possunt ex aliis capitibus requiri quam ex formalitatibus, sicut requiruntur conditiones, & alia multa.

16 Tercio tandem dico, licet hoc absolute ita verum sit; quando tamen non videmus specialem aliquam necessitatem, & experientia videtur docere aliquam rem influere in aliam, debere nos dicere, si sit omnino æqualis, eam concurrere totaliter, & non debere illi limitare concursum. In hoc acquiesco illorum Doctorum sententiæ, & hoc modo de facto damus regulam fixam ad dignoscendam causam totalem, de quo ipsi valde videbantur esse solliciti. Ratio huius est, quia licet res æqualis perfectionis cum effectu & operatione illius, possit ex occultâ nobis ratione aliquando indigere concursu alterius concause, quando tamen de illâ occultâ & speciali indigentia nobis non constât, non debemus illi virtutem limitare. Sic ergo dico, frigus adæquate producit frigus, & calor calorem, & forma ignis aliam formam: at in Deo respectu creaturarum, & in aliis rebus, vbi concausas alias requirimus, licet id non proveniat ex diuersis formalitatibus, quia verò habemus alias rationes particulares virgen-

tes ad admittendum talem concursum, idèolum admittimus; vbi autem hæ rationes cessant, adæquatus influxus tribuitur causæ continenti omnes formalitates effectus; & hoc modo consequenter in omnibus materiis, vbi de hac realiquid agetur, Deo duce, discurremus.

SECTIO III.

Utrum causalitas Causæ efficientis distinguatur à causâ & effectu.

Causam efficientem habere etiam suam causalitatem, est tertio certius ex dictis de aliis Causis: vtrum autem ea distinguatur ab ipsâ causâ & effectu, in præsentī explanandum est.

SUBSECTIO PRIMA.

Distinguitur.

NOMINALES communiter negant distinctionem actionis, seu causalitatis efficientis ab ipso effectu producto: idemque tenentur negare consequenter, quotquot negant distinctionem vnionis à materiâ & formâ; eadem enim est utrobique ratio. Ideoque contra illos in hac Subsectione statuo PRIMAM CONCLUSIONEM. Causalitas causæ creatæ distinguitur à causâ & effectu, quando hic non pendet essentialiter ab eâ causâ. Hæc probanda est eodem argumento, quo supra distinctionem vnionis ostendimus. Prius tamen aduerto, malè à nonnullis hanc nostram sententiam inde suaderi, quod actio, quâ hodie conseruatur creatura, potuit separari ab hesternâ, eò quod potuerit hodie perire res, quæ heri exstiter; ergo hæ actiones, & inter se, & ab effectu distinguuntur. Aduerto, inquam, argumentum hoc nullum esse: eo enim etiam probaretur, essentiam hodiernam distinctam esse ab hesternâ, potuit enim esse hesternæ essentia sine hodiernâ. Respondeo ergo, eo solum probari, durationem actionis esse distinctam: eadem enim actio est heri & hodie, licet durare hodie sit ab eâ separabile, de quo infra Libro quarto.

Reiecto ergo hoc argumento, sic Conclusio- nem probo. Potest esse in rerum naturâ hæ causa, & hic numero effectus, quin hæc producat illum, & ille producat ab hac; ergo hoc, quod est hunc effectum produci ab hac causâ, aliquid est distinctum ab illâ, & ab effectu etiam simul sumptis. Consequentia est euidentis. Antecedens probatur, quia ignis A. qui in primo instanti producit ignem B. in secundo instanti non illum producit, tunc enim ignis B. conseruatur à solo Deo, & tamen in secundo instanti manet in rerum naturâ & ignis A. & B. ergo potest ab utroque separari hoc, quod est vnum produci ab alio. Præterea hic numero homo, qui de facto à Ioanne productus est, potuit vel naturaliter vel miraculose ab altero homine produci; ergo hoc quod est actu produci ab hac causâ, aliquid est distinctum ab illâ & effectu simul sumptis.

Respondebis Primò: Etiam ipsa actio est effectus causæ, & tamen producit per seipsam sine aliâ actione intermediâ, ergo etiam effectus poterit produci seipso sine actione distinctâ. Hanc solutionem quære Disputatione IV. à numero

mero 39. in simili, dum de vnione disputaui, quam & nunc reiicio: nam ideo actio non producit per aliam distinctam, quia ipsa de se essentialiter pendet ab hac numero causâ, ita vt nec de potentia absolutâ possit esse, quin producat ab eâ numero; non ergo mirum, si actualis productio eius actionis sit indistincta ab ipsâ actione: effectus tamen, v. g. ignis, non pendet necessariò ab hac numero causâ, cum (vt vidimus) possit ab alterâ produci, ergo hoc, quod est actus produci ab hac, aliquid est separabile ab ipsâ, & effectus, ac consequenter erit aliquid distinctum, non ergo rectè solutio petitur ab actione ad effectum.

20 Respondebis Secundò, eam actionem consistere in eo, quòd hic effectus dependeat ab hac causâ, seu recipiat ab illâ suum esse. Sed contrâ, quia effectum pendere ab hac causâ, & recipere ab illâ suum esse, est aliquid separabile ab utroque, ergo actio est aliquid ab utroque distinctum. Renoca in memoriam consilium, quod supra Disputatione IV. à num. 5. dedi, dum agerem de vnione, & omnes terminos, quibus se muniant hi, simul accipe & sic argue. Hæc omnia possunt separari à causâ & effectus, ergo sunt quid ab illâ distinctum, &c.

Fortè Tertiò respondebunt, actionem consistere in eo, quòd effectus non procedat ab alterâ causâ. Sed contrâ Primò, quia ego non procedo ab aliâ causâ per hoc formaliter, quòd non procedam ab aliâ, hoc enim est quid negatiuum, sed per positiuam emanationem ab hac, vnde oritur naturaliter, vt non procedam ab aliâ, quia à duabus totalibus vel vnâ totali, & aliâ partiali, non possum naturaliter procedere; ergo ne non procedere ab aliâ, non est idem formaliter, ac procedere ab hac, sed potius est quasi effectus secutus ex eo, quòd procedo ab hac. Contrâ Secundò, quia rogo, Quid est produci ab aliâ? videtur enim etiam esse negatio negationis, quod est Chimericum. Me vide infra Disputatione XIV. à num. 9. Contrâ tandem, quia potest effectus saltem diuinitus ab illis duabus causis oriri, tunc autem non erit ea negatio, quòd scilicet non procedat ab aliâ, & tamen manet vera processio ab hac, ergo processio non consistit in tali negatione.

21 Quartò respondebis argumento numero 18. actionem consistere in causâ ipsâ dispositâ in actu primo ad operandum; hoc enim dato, impossibile est, effectum non emanare ab eâ causâ. Quòd si virgeatur amplius, Causâ applicata nihil est nisi omnipotentia Dei, & entitas solis v. g. quâ possunt ambæ manere in rerum naturâ, etiam si effectus non procedat ab hac causâ, ergo procedere de facto aliquid est ab eis distinctum. Si hoc, inquam, obiiciatur, respondebis adhuc, requiri etiam speciale Dei decretum hoc vel illo modo applicans causam; eo autem decreto posito, non posse non procedere effectum. Si enim Deus suam omnipotentiam applicat pro concursu inadæquato, tunc eo ipso lux procedit à sole, & ab omnipotentia Dei; si verò Deus illam applicat pro concursu adæquato, necessariò orietur à solo Deo. Hæc nonnulli, quæ parum videntur considerata.

Reiicio ergo euidenter hos Auctores, quia ipsis terminis videntur sibi contradicere. Rogo enim,

Quid est ille influxus inadæquatus, pro quo Deus vult suam applicare omnipotentiam? Non est ipse effectus, hic enim idem manet semper; non ipsa omnipotentia, quæ etiam est semper eadem; non actio distincta, quia eam non admittis, quid ergo est ille influxus inadæquatus, quem habet pro obiecto voluntas Dei? Nec putes, me iam hic esse sollicitum quid sit ipse actus Dei, hoc enim benè video esse difficultatem omni materiæ communem: solum ergo iam quero, quod sit eius voluntatis obiectum; hoc autem impossibile est à te assignari.

Confirmo & explico Primò, quando Deus dicit, *volo vt non concurrat sol ad hanc lucem*, rogo quid aufert Deus à sole? non ipsam lucem, hæc enim manet sicut antea; non aliquid in ipso sole existens, hæc enim omnia manent intacta; non actionem intermediam quæ à sole oriretur, hæc enim à te negatur, qualis ergo illa est voluntas quæ dicit, *volo ne sol hoc habeat*, & tamen nihil planè neque extrinsecum neque intrinsecum ab illo aufert?

Confirmo Secundò. Demus hic duos ignes, quorum quilibet posset simul cum Deo producere alium: producit ergo Deus cum igne, postea dicit, *nolo vt ignis A. producat mecum, sed vt id præstet ignis B.* in hoc casu non potest recurri ad inadæquatum concursum ex parte Dei; siue enim ignis A. siue ignis B. concurrat, semper Deus concurrat inadæquate. quid ergo vult, dum aufert concursum vnus, & dat alteri? quandoquidem ex parte ipsarum causarum & effectus omnia manent eodem modo sicut antea, & ex parte Dei semper est applicata omnipotentia pro inadæquato influxu, Deus enim eodem modo concurrat, siue hic siue alter ignis influat cum ipso, ergo tunc nihil est planè quod Deus posset velle, ergo applicatio semper manet eadem, & tamen in vno casu procedit ab vnâ, in altero ab alterâ; ergo procedere ab hac numero potius quàm ab illâ, est aliquid superadditum, modus scilicet actionis distinctus, quem nos ponimus.

Dices Fortè adhuc, in nostrâ sententiâ esse eandem difficultatem, quia etiam ante actionem debet Deus velle vnâ causam esse paratam, alteram non, quod ergo obiectum illius voluntatis est? Respondeo, à me clarissimè assignari, dum enim Deus vult, vt effectus procedat ab hac, & per hanc numero actionem, quæ ex se pendet ab hac causâ, & non ab illâ, vult Deus hanc causam esse in actu primo paratam, non verò illam, ibi autem do ego diuersa obiecta, diuersas scilicet actiones.

Secundò—principaliter oppugnatur solutio supra posita: quia quando diuinitus à duabus causis totalibus producit effectus, vt fatentur hi posse fieri, non est vilo modo excogitabile, quid sit illud quod additur secundæ causæ, ratione cuius ab eâ de facto actu procedat, nisi assignetur modus distinctus actionis, vt in impugnatione tertiæ responsionis ostendi. Constat ergo, actionem, quæ effectus ab aliâ causâ creatâ producit, esse modum aliquem positiuum ab utroque distinctum.

SUBSECTIO SECVNDA.

An etiam distinguatur actio, quâ creatura procedit à Deo.

²⁴ Posset fortè aliquis dicere: Licet actio, quâ ignis producitur ab alterâ causâ creatâ, sit distincta ab ipso igne, eò quòd potuerit ab illo abesse, actionem tamen, quâ producitur à Deo, non esse distinctam ab ipso igne, quandoquidem repugnat, ignem existere in rerum naturâ, & non produci à Deo. Propter hoc argumentum recentiores nonnulli docuere, Deum & creaturam operari distinctis actionibus, Deumque non operari actione distinctâ ab ipso effectu, sic verò creaturam. Quæ sententia nunc examinanda est.

Primò eam nonnulli reiciunt, quia ex illâ sequeretur, causam secundam agere prius quam primam, quod est absurdum. Sequela probatur, quia Deus agit per ipsum effectum, creatura autem agit per actionem, quæ eo ipso est prior effectu, ergo prius agit creatura quam Deus. Hæc tamen ratio non virget, quia (vt ostendimus supra) actio non est prior in quo respectu effectus, sed solum à quo. Vnde non, quia creatura operetur per actionem, Deus verò per effectum, sequitur creaturam operari prius quam Deum, si loquamur de prioritate in quo: neque item sequitur, creaturam prius à quo operari quam Deum. Licet enim actio Dei, prout est idem cum effectu, sit posterior à quo actione creaturæ, procedit tamen etiam à Deo per se ipsam, licet per illam formaliter non progrediatur Deus ad effectum. vnde fit, vt nullo modo prius operetur creatura quam Deus, quia illammet actionem creaturæ simul Deus & creatura producant.

Secundò potest impugnari eadem opinio ex communi axiomate, *Actionis non datur actio*. Ergo si effectus est actio Dei, non potest esse alia actio distincta, etiam creaturæ, per quam ille effectus & actio Dei producat. Neque hoc argumentum virget aduersarios, quia facile negabunt prædictum axioma: nec videtur esse vllum absurdum in eo, quòd actio vnius causæ sit terminus alterius, sicut supra diximus, dum de distinctione actionis à passione sermo esset.

Sed virgetis: Nulla aliâ ratione causa producit effectum, nisi producendo actionem illius, ergo repugnat, actionem alicuius causæ esse terminum alterius; eò enim ipso quòd ea actio producat ab aliquâ causâ, debet mediâ illâ produci effectus ab eadem causâ. Nihilominus posset responderi, effectum produci à causâ, non esse præcisè produci actionem illius, sed vterius includere etiam quòd ipse effectus producat. Nam quando producitur effectus, duo producuntur, & actio, & ipsa entitas effectus; hæc vt terminus, illa vt via. Posset ergo quis dicere, eam actionem, quæ est via vnius causæ ad effectum, esse respectu alterius causæ purum terminum, in quo illa causa sinit. Neque videtur repugnare, vt eadem res sit via respectu vnius, & terminus respectu alterius; idque habeat ex naturâ suâ illa actio, quæ distincta fuerit ab entitate effectus. Vnde non videtur formalis consequentia, *pro-*
ducit hac causa hanc actionem, ergo per eam produ-

cit terminum eius actionis; nam terminus & actio realiter distinguuntur. vnde poterit ab aliquâ causâ sola actio, ab aliâ verò actio & terminus produci.

Dices, à me hanc consequentiam aliquando factam ad probandum, terminum productum non posse cauere suam actionem, quia scilicet inde sequeretur, eum cauere seipsum: non enim aliter causa producit effectum, nisi producendo seu cauendo actionem in illum, quod iam videor in præsentia negare. Respondeo Primò, in eo casu esse repugnantiam, eò quòd nihil possit esse prius actione quâ producitur, quod sequeretur, si esset causa suæ actionis: at in præsentia non sequitur talis repugnantia. Secundò ego ibi argumentor contra illos qui hanc distinctionem, quam ego hic trado, non admittunt, vnde bene argumentor sequi tale absurdum. Tandem addo, etiam si vtrumque posset quis per solutionem numero præcedenti datam euadere, absolute tamen probabilius esse, actionem non posse produci vt terminum in quo sistatur; vnde ego simpliciter non admitto, actionem creaturæ posse esse terminum respectu Dei. Sed insinuat, quid posset vtrumque responderi argumento supra facto. Vide quæ dixi agens de distinctione actionis à passione, vbi de simili argumento dixi, etiam si non sit euidens, esse tamen valde probabile.

Tertiò posset prædicta opinio impugnari, quia ex eâ videtur sequi, à Deo prædeterminari causam secundam ad operandum, quod falsum esse, breuiter insinuo Disputatione x. Sectione 3. Sequela probatur, quia actio Dei infert actionem creaturæ, ergo hæc determinatur ab illâ. Rursus, actio Dei est prior naturâ, ergo prædeterminat actionem creaturæ. Consequentia est bona. Antecedens probo, quia actio creaturæ producitur à Deo per aliam actionem distinctam, & consequenter actio creaturæ debet esse posterior actioni Dei. Neque hoc virget, quia actio creaturæ non producitur à Deo per aliam actionem distinctam priorem, à solo Deo ortam, sed seipsâ: vnde sicut ipsa non est prior se, ita nec actio Dei est prior actione creaturæ, sunt enim idem realiter.

Aliunde ergo refutanda est ea opinio de duplici actione, contra quam sit nostra *SECVNDA CONCLUSIO*. Actio, quâ Deus simul cum causâ creatâ producit alias creaturas, est distincta ab ipsâ creaturâ. Hoc probatur, quia, licet dependeat essentialiter à Deo creatura, adhuc tamen est indifferens ad dependendum per hanc vel illam dependentiam; ergo illa, quam de facto habet, est distincta ab ipsâ creaturâ: sicut, licet creatura nequeat esse sine aliquâ vocatione, quia tamen potest esse sine qualibet in particulari, id eò omnes vocationes in particulari ab illâ distinguuntur, vt & aduersarij fatentur. Solum ergo nobis probandum restat, posse creaturam esse sine hac vel illâ dependentiâ à Deo, licet nequeat esse sine aliquâ. Quod facile probatur, quia diuerso modo dependet à Deo ignis quando à solo Deo producitur, ac quando producitur à Deo simul & ab altero igne; in hoc enim casu pendet à Deo fortiori influxu, vtpote quo suppletur influxus causæ secundæ, ergo est ille ignis indifferens ad dependendum à Deo per hanc vel per illam

lam actionem, hoc vel illo modo; ergo qualibet actio, etiam quæ procedit à Deo, est distincta ab igne.

Respondetis Primò, concursus Dei, etiam cum quo simul concurrit cum causâ creatâ, esse sufficientem ad conferendum effectum in ab-
 29 sentiâ concursus causâ creatâ. Sed contrâ, Ergo iam concursus causâ secundâ est omnino superfluous, & consequenter impossibilis naturaliter: si enim esset necessarius, repugnaret, ut eo absente, & nullo alio loco illius suffecto, adhuc eodem modo effectus maneret, ut ex terminis constat.

Respondetis Secundò, concursus Dei inad-
 æquatum semper manere, siue concurrat causâ
 creata siue non, cum hac tamen differentiâ, ut in
 defectu causâ creatâ compleatur primus concursus
 Dei per alium inadæquatum ortum ab ipso
 Deo, qui secundus concursus non erit idem cum
 effectu producto; potest enim effectus esse sine
 illo: primus autem concursus inadæquatus om-
 nino est indistinctus ab effectu, qui necessariò &
 essentialiter pendet à Deo saltem inadæquatè.
 Non potest probabilior solutio argumento à no-
 bis factò adhiberi, impugnatur tamen, quia fal-
 sum omnino est, ignem à solo Deo productum
 habere duas actiones inadæquatas ortas ab ipso
 Deo. Licet enim nonnulli distinxerint actiones
 iuxta distinctionem causarum, nullus tamen huc-
 usque duas actiones inadæquatas distinctas ab
 eadem causâ in eundem effectum simul adstru-
 xit. Confirmatur, etiam si Angelus & anima ra-
 tionalis de facto à solo Deo producantur, in or-
 dine tamen ad potentiam absolutâ possunt com-
 produci, ut ab instrumento, ab aliâ creaturâ (ut
 30 infra ostendimus): quis autem dicet, nunc An-
 gelum & animam rationalem produci quemli-
 bet per duas actiones ortas à solo Deo, vnam
 quidem essentiali illis, & quæ in nullo casu ab-
 esse possit, alteram verò distinctam, quæ defice-
 rit, casu quo Deus quasi adiuuaretur aliquo in-
 strumento ad productionem animæ vel Angeli.
 Dicendum igitur est, quotiescunque mutatur
 modus dependendi creaturæ à Deo, mutari et-
 iam adæquatam actionem, quâ illa creatura à
 Deo producebatur, & eius loco aliam omnino
 distinctam succedere, quamlibet autem esse di-
 stinctam ab ipsâ creaturâ.

Respondetis Tertiò, effectum creatum, qui
 per se sine actione distincta à Deo produci-
 tur, si sit simul cum actione creaturæ ad ip-
 sum terminatâ, esse productionem inadæqua-
 tam sui ipsius à Deo: ablata autem illâ actione
 creaturæ, ipsum effectum esse productionem
 adæquatam sui ipsius à Deo solo. Sed contrâ,
 quia vel ipsa entitas effectus se ipsâ produci-
 tur sufficienter à Deo, vel non. Si primum, ergo
 etiam quando adest causâ secunda, sufficienter
 produciatur à solo Deo, & consequenter erit
 tunc vna actio adæquata à solo Deo, & alia
 inadæquata à causâ secundâ, quod naturaliter
 31 est impossibile. Sequela euidenter probatur,
 quia entitas, quæ ex se est totalis actio, & suf-
 ficiens, non potest reddi insufficiens per addi-
 tionem alterius actionis; additio enim non red-
 dit illam minus fortem. Si verò dicas, eum ef-
 fectum se ipso non produci sufficienter à Deo,
 tunc ego inferam, Ergo repugnabit, ablata
 actione causâ creatâ, nisi alia noua loco illius

addatur, manere effectum productum sufficien-
 ter & adæquatè, quia actio de se inadæquata &
 insufficiens ad productionem effectus, non po-
 test reddi sufficiens ad eundem effectum pra-
 cisè per ablationem alterius actionis, quâ iuu-
 abatur. Sicut si quis diceret, columnam susten-
 tantem domum solum partialiter, eò quòd non
 sufficeret ad machinam totius domus, si relin-
 quatur sola, esse sufficientem, si verò ponatur
 cum aliâ, esse de se insufficientem, quòd Chimæ-
 ricum est. Neque ad hoc deferuit voluntas Dei:
 hic enim non potest facere, ut actio quæ de se est
 inadæquata, sufficiat sine consortio alius ad pro-
 ducendum effectum; id enim est mutare essen-
 tias rerum, quòd omnino repugnat. Consterigi-
 tur, actionem, quâ effectus produciatur etiam à
 Deo, distinctam esse ab ipso effectu producto.

Sed adhuc restat difficultas, vtrum scilicet
 eiusmodi actio distinguatur ab ipso Deo. Non-
 nulli recentiores opinantur, ipsum actum vo-
 luntatis diuinæ, quo vult creare Angelum, esse
 etiam actionem quâ Angelus produciatur. Hanc
 doctrinam aliqui extendunt ad omnem actio-
 nem, siue creatiuam siueeductiuam, quâ Deus
 ad extra operatur: alij verò eam limitant ad so-
 lam creatiuam, eductiuam autem à Deo & ab
 ipso effectu distinguunt. Primum impugnantur
 hi ultimi ex consequentiâ defectu, quia non est
 vlla ratio, cur voluntas Dei de productione An-
 geli sit productio ipsius, voluntas verò de pro-
 ductione formæ ignis non sit etiam productio
 formæ ignis, cum vtrique voluntas sit efficax ad
 producendum suum obiectum.

Respondetis, volitionem Dei circa formam
 33 ignis non esse sufficientem ad producendam for-
 mam se solâ, eò quòd debeat etiam concurrere
 materia ut subiectum, volitionem autem de exi-
 stentiâ Angeli sufficere sine alterâ actione ad
 productionem Angeli; unde non mirum si hæc
 volitio sit creatio Angeli, illa verò non sit pro-
 ductio formæ. Sed contrâ, quia hinc solum pro-
 bas, volitionem Dei circa Angelum esse actio-
 nem totalem illius; volitionem autem circa for-
 mam non esse actionem totalem. Verum non
 probas, volitionem de formâ non esse actionem
 partialem Dei circa illam. cum enim Deus so-
 lum partialiter producat formam, cur ea volitio
 non erit sufficiens pro actione partiali, etiam si in-
 digeat consortio creatæ causæ, quam indigen-
 tiam semper habet actio Dei, etiam si distincta sit
 ab ipso Deo, sicut volitio de Angelo est actio to-
 talis, creatiuâ illius, eò quòd à Deo totaliter pro-
 ducitur Angelus.

Respondetis Secundò, respectu actionis edu-
 ctiuæ assignari posse aliquod subiectum, hoc au-
 tem non posse assignari respectu actionis creati-
 uæ, unde non mirum, si hanc non distinguamus
 à causâ, secus illam. Sed contrâ, quia Sect. &
 34 Subsectione 4. ostendam tibi hoc subiectum; ergo
 ex defectu illius non debes negare distinctionem
 creationis à causâ & effectu, cum eam non
 neges in eductione. Contrâ deinde, quia si se-
 mel intelligis, per volitionem Dei adæquatè pro-
 duci res quæ à solo Deo dependent, cur non in-
 telliges etiam, per volitionem Dei inadæquatè
 saltem produci res, quæ inadæquatè à Deo de-
 pendent: nec enim, quia datur subiectum in quo
 possit recipi actio distincta, ideo eam debes di-
 stinguere,

De Causa efficiente in communi & causalitate. SECTIO III. 367

stingere, quasi ne otiatur subiectum; quandoquidem sine distinctione illius recte potest intelligi effectus productus. Idem ergo dicendum de actione Dei educatiua, quod de creatura, proportionem seruata.

SUBSECTIO TERTIA.

Obiectiones contra actionem distinctam soluantur.

Vix contra præcedentem sententiam obiici potest, nisi commune axioma, non esse multiplicandam actionem distinctam sine necessitate. Huic tamen abunde satisfactum est supra.

Secundò potest Aristoteles obiici, qui 3. Physicorum text. 4. & 19. docet, motum nihil esse aliud quam res ipsas. Respondeo, Aristotelem solum ibi voluisse, motum non esse ens aliquod completum per se, distinctum, ut ibidem expressè eum D. Thomas exponit; per hoc autem non negat, esse aliquod ens modale incompletum.

Tertiò obiicies, sequi processum infinitum, si actio sit modus: nam etiam ipsa debet prodire per aliam, & hæc rursus per alteram in infinitum.

Quod si respondeas, actionem per se essentialiter pendere ab hac numero causa, ideoque non egere actione distincta; replicabunt Primò, in hac solutione peti manifestè principium: dum enim dicitur, actionem pendere essentialiter, dicitur pendere sine alia actione intermediaria de quo est tota lis. Secundò, etiam si pendeat actio essentialiter, adhuc posse pendere per actionem distinctam: creatura enim omnis essentialiter pendet à Deo, & tamen adhuc pendet per actionem distinctam. Simile argumentum faciunt nonnulli contra omnes modos, quo videntur sibi eos eliminasse è mundo, ac de illis perfecte triumphasse.

Ego primùm his gratulor, quod tam leui argumento sibi satisfaciunt, non enim est parum, paruis esse contentum.

Secundò respondeo, illud nihil penitus probare: omnes enim quicumque modos ponunt, illos tantum ponunt ut actuales determinationes causæ ad effectum, & huius ad causam. quomodo ergo petunt principium, qui, supposita existentia illorum, dicunt eos ex sua essentia esse alligatos huic causæ, & huic effectui? Rogo hos Auctores, quare dicant cognitionem esse aliquid distinctum à cognoscente, nisi quia ab homine v.g. potest separari hoc quod est actu cognoscere Petrum. Secundò rogo, an, sicut dicunt homini esse superadditum hoc quod est cognoscere Petrum, etiam dicant ipsam cognitionem per aliquid sibi superadditum habere hoc quod est representare Petrum. Si dicant esse superadditum, dabitur idem processus, quem obijciunt nobis in actione: si verò dicant, nihil esse superadditum, ut dicere tenentur, cur non aduertunt, se esse iam in eadem nauì nobiscum? Ego enim illis obiiciam non minùs, quam illi nobis, ab eis peti principium manifestè: de hoc enim quærimus, cur cognitio sit imago huius obiecti per se, & non habeat hoc per aliquid sibi superadditum, sicut ipsi de actione nobis obiiciunt. quod enim de cognitione respectu obiecti, hoc planè de

actione respectu causæ & effectus dicendum est. Sicut ergo hi, & benè, respondebunt, qualitatem illam distinctam, quam vocamus cognitionem, ideo à nobis poni, ut sit actualis representatio huius obiecti, ideoque non habere id per aliquid superadditum, sed per se ipsam, & in hoc differre ab ipso intellectu, qui per aliquid sibi superadditum respicit tale obiectum; ita eodem modo dico ego, actionem à nobis poni, ut in genere productionis sit actualis determinatio huius causæ ad hunc effectum; ideo per semetipsam hoc habere, & consequenter cessare ibi argumentum, quod in effectum virget. Certè non potest esse clarior in hoc puncto doctrina.

Ad secundum verò de creatura, quæ pendet à Deo per actionem distinctam, etiam si essentialiter pendeat ab illo, responsum est à numero 24. & paulò post, dum de Creatione egerimus, aliquid etiam de hoc puncto dicitur. Ostendam enim, creaturam quidem pendere à Deo essentialiter, non tamen adæquatè, sed esse indifferentem ut pendeat hoc vel illo modo, quod non habet actio respectu suæ causæ: unde dicam, si aliqua foret creatura, quæ non nisi unico modo à Deo solo produci posset, illam non producendam per actionem distinctam.

Quartò obiicies: Si actio est modus, vel pendet diuisibiliter vel indiuisibiliter à causâ. Neutrum dici potest, ergo nullo modo. Non diuisibiliter, quia tunc una pars actionis penderet ab una parte causæ, & alia ab alterâ, & sic una pars non iuuaret aliam, quod est contra experientiam: nam magnitudo agentis auget effectum totum. Non indiuisibiliter, quia tunc quælibet pars actionis penderet ab omnibus partibus causæ: unde quacumque parte causæ ablata per motum, tota actio mutatur, & sic succederent infinitæ actiones totales in qualibet morâ temporis, quia in eâ sunt infinitæ partes temporis; hoc autem est absurdum, ergo. Huic argumento ferè nihil aliud respondiilem, quam monere eius Auctores, ut melius considerarent illius vim, & aduerterent, idem penitus quod de actione nobis obiiciunt, posse nos eis obicere de termino ipso producto, v.g. de igne, etiam si nulla sit actio positiua media; & rogare, an ignis diuisibiliter an indiuisibiliter pendeat à causâ, & ibi scrutari omnia horum mysteria, quæ in re nulla sunt. Dico ergo, quamlibet partem ignis habere suam partem actionis distinctam, unde non sequitur, ablata una parte actionis, totam auferendam. Secundò, non quamlibet partem actionis pendere à qualibet parte causæ, sed partem à parte, & totum effectum à totâ causâ. Unde rursus non sequitur, ablata quacumque parte causæ, auferendam totam actionem, sed eam præcisè, quæ ab eâ causæ parte, quæ ablata est, procedit. Quomodo autem illæ partes causæ se iuuent, alibi dictum est: nunc breuiter dico, se iuuare, ut una pars possit partem effectus in maiori distantia producere, quam posset si sola fuisset; ad quod non requiritur, ut procedat illa actio in distantiori parte ab eis duabus partibus causæ, ut de partibus obiecti fusiùs dicam in ordine ad species intentionales Disputatione IV. de Anima, à num. 232.

Secundò respondeo, in calore & frigore rem esse clarissimam: hæ enim qualitates, licet primò producantur ab aliis causis applicatis, non tamen

ab illis conseruantur. vnde non sequitur, ex ablatione vnius partis causæ mutandam totam actionem, & multò minus sequitur, in qualibet morula futuras infinitas nouas actiones, sed solum sequitur, in secundo instanti esse aliam diuersam actionem à primâ, hanc autem secundam, quia non procedit ab igne priori, non propterea mutari ad mutationem prioris ignis, aut cuiuslibet illius partis.

In luce verò, quæ ab eadem causâ conseruatur à quâ producit, locum habet prior solutio. Quod si ad aliquam partem effectus & actionis (iam enim ostendi, de vtriusque esse eandem rationem) concurrant omnes partes causæ, tunc dicendum est, quacumque parte causæ ablata, perire eam partem actionis & effectus, quæ ab omnibus illis conseruabatur, nisi aliqua alia succedat loco illius; tunc enim solum mutabitur actio, ipse tamen effectus manebit. In quo nec vel leuis apparet difficultas.

39 Vltimò tandem obijciens: Actio & terminus debent in duratione commensurari, sed actio est instantanea, terminus verò manens; ergo non commensurantur, ergo non datur actio distincta. Fateor, me non intelligere quid sit specialius, quoad hoc, in actione distincta, quam in idemificata: illud enim principium de conformitate actionis & termini, eodem modo locum habet, siue actio sit modus distinctus, siue non. Vel quomodo ipsi specialius probant, actionem, si distinguatur, debere conformari; non autem, si sit indistincta? Respondeo ergo, quamdiu effectus conseruatur ab eadem causâ à quâ productus est, semper manere eandem actionem, & tunc conformari in duratione: si verò effectus à diuersâ causâ conseruetur, tunc mutari actionem; quod non habet maius mysterium, quam quod mutantur ipsæ causæ: semper autem manet aliqua actio quæ effectus conseruatur, licet tunc non vocetur actio, sed conseruatio.

SECTIO IV.

De Actione creatiua.

DIFFICULTAS hæc est ad disputationem de causâ primâ, cuius propria est creatio, pertinere videatur, quia tamen, vt ex dictis constat, connexa valde est his quæ de actione in communi diximus, hic examinanda videtur.

SUBSECTIO PRIMA.

Actio creatiua distinguitur à volitione Dei.

40 **I**AM nobis est absolute probandum contra Auctores primæ & secundæ sententiæ Sectione 3, relatos, & creationem & actionem eductiuam Dei ab eius volitione distingui. In hanc sententiam communiter conueniunt recentiores & Societate nostrâ. Eam tenet P. Vasquez & alij, quos refert & sequitur Hurtadus Disputat. 12. §. 21. vbi ostendit, eam esse D. Thomæ. Probatur autem Primò, quia (vt ostendi Sectione præcedenti) actio eductiua necessariò distinguitur à Deo & creaturâ productâ, & (vt ibi ostendi) idem est de creatiua; ergo actio, quæ effectus producit, distinguitur à volitione Dei. Patet

consequentia, quia distinguitur à Deo, ergo à volitione Dei, quæ est idem realiter cum Deo. Secundo verò, specialiter eam distingui à volitione Dei, ostenditur, quia volitio Dei est ab æterno, & ab æterno non est creatio Petri, ergo volitio Dei non est creatio Petri. Probatur cōsequentia, quia si volitio & creatio sunt idem, non potest vna esse ab æterno, quin & altera: & sicut Angelus ab æterno amatur, & dicitur volitus, ita & deberet dici & esse creatus.

Dices, ab æterno esse creationem Petri, licet ab æterno non sit Petrus creatus. Sed contrâ, quia actio nequit esse actus existens, nisi actu existat eius terminus, ergo non potest esse ab æterno creatio Petri, nisi Petrus etiam sit ab æterno creatus.

Dices Secundò, ab æterno Petrum esse creatum, non pro tunc sed pro præsentī tempore. Contrâ, quia si est creatus, ergo & existens: at dicere illum ab æterno existere pro hodierno die, est repugnantia in terminis, vt per se patet, si tamen verè ab æterno non existit, ergo & repugnabit eum esse ab æterno creatum pro tali tempore, Vide P. Hurtadum suprà, qui bene virget hoc argumentum.

Dices Tertiò, volitionem Dei non constitui in ratione creationis actu, nisi ex cōnotatione actualis existentie termini: cumque hic non existat ab æterno, sed in tempore, inde sit, vt non ab æterno, sed in tempore sit actio Dei. Sed contrâ, ergo iam actio in ratione actionis includit aliquid distinctum à volitione Dei; hoc autem non potest esse ipsa entitas effectus, vt ostendam Subsectione 2. & 3. ergo debet esse aliquid distinctum ab ipso effectu & à volitione Dei, quod contendo.

Dices, Illud distinctum, quod connotat volitio Dei in ratione actionis, esse ipsum effectum, qui licet non possit esse actio sui ipsius, potest tamen esse connotatum suæ actionis. Contrâ, quia in Logica Disputatione xii. Sectione 3, omnino reieciimus hæc connotata vt impossibilia, ergo non potest per illa explicari, quæ ratione, licet volitio Dei sit actio creatiua Petri in tempore, eadem tamen volitio præcedens vel subsequens Petrum, nõ sortiatur de facto rationem actionis, vel ab æterno sit ea volitio in ratione entis, non verò in ratione denominationis; quia ista distinctio est omnino Chimærica: nam denominatio & ens est idem, vnde si manet in ratione entis à quo prouenit denominatio formaliter, debet manere in ratione denominationis, nisi auferatur aliquid quod sit pars denominationis; ergo non potest dici, solam volitionem Dei esse totam essentiam actionis; & licet volitio fuerit ab æterno, non tamen fuisse ab æterno actionem etiam in ratione actionis. Vel debes dicere ipsum effectum esse partem actionis, quod refugis, & de quo me videro Subsectione 2.

Aliqui Auctores in creatis repugnare censent ea connotata extrinseca, in Deo tamen putant necessariò admittenda, quia actus liberi non possunt aliter explicari, nisi dicamus, eandem entitatem Dei futuram in ratione entitatis, si mundus non existeret; tunc autem non futuram eandem in ratione denominationis volentis. Ob quod exemplum vltèriùs progredientes, præter denominationem volentis ab æterno creare, addunt